quempiam extra ordinem et suo ære assumpturum, quod non ausim asserere tamen. de te nescio quis fuerit, qui quid Bacchici interseruit. quod factum nolim. Tu manda si quid porrò curatum velis, sum enim

Totus tuus.

Festinus in Castris
o. Eeckelo XIV. Cal: Aug:
CIƆIƆCXLV.

J. van der Burgh. (383)

Ante diem decretorium, quo, quem designas Rufum, commigravit hinc unde τὸ γνῶθι σεαυτὸν descendisse memoriæ proditum est, aut quo esuriens Græculus ibit, si jusseris, placuit Henrico Dei Gratia &c tam gratiosum me habere, ut statuerit viduo non facili nonis nuptiis novum Collegam dare. Num obluctatus sim, tu conjicies. Mihi videntur veteres appellasse plus dapis, et rixæ multò minus. Quid proinde respondere tibi tute possis ad ea, quæ hujus argumenti scribebas Leodii XV. Cal: Sextil: supervacuum sit monere. Itaque tu vale multum, et multum excidisse mihi his castris scito rerum Musicarum ad pietatem maximè spectantium, et quibus nisi fallor, aliquando te capi sines, quasi ostreis vescaris è Lucrino lacu, ut quidem Suavi Suavio videtur, harum mercium longè peritissimo Lenoni, aut honestius proxenetæ. Scribo in Castris Maldegh: Nonis Sextilib:
CIƆIƆCXLV.

Jacobo Pilio.

Amplissimo Doctissimoque Viro
Iacobo Pilio
Senatori Dordraceno
Const: Hugenius
Sal: (384)

De Munere Posthumo, et quasi ex præstantissimi Patrui tui fideicommisso, in sæculum transmisso, gratum est Vir Amplissime, quam quod maxime. Ille mihi in eorum censu, quos cum duobus Janis, secundo Douzaque filio, acerbo sibi fato ereptos, Batavia jure suo æternum dolitura est. Amicorum Album, meâ quod

nigrescere